

individua 2—3, imo plura inter se juncta. — Polycotylea monoica aperturis genitalibus masculis duabus ventralibus, una versus medium marginis lateralis dextri, altera sinistri sita, pene nullo instructa, oviductu in cloacam inserto. *Ovipara*. — In Bdellideis cheilostomis nonnullis ovula singula aut plura (10—16) involuero subcorneo-spongioso, e corporis superficie exsudato, demum exuto primum tubuloso, postea depositis ovulis subgloboso utrinque clauso (*cocco*), excepta. Bdellidea numquam metagenesi, paucissima metamorphosi incompletae subjecta. Bdellidea sunt animalium aquatiliū, praecipue vertebratorum, ectoparasita, nunc ea numquam deserentia, nunc tandem ea derelinquentia, tunc in aqua marina aut dulci, v. supra terram humidam libere vagantia, ovulaque cocco inclusa ibidem abscondentia, imo arboricola ¹⁾).

Status metamorphosis incompletae in Bdellideis polycotyleis: larva animalculo materno similis, nec organis genitalibus, nec acetabulis, sed solummodo ambulacris 4 v. 10 instructa. Tam in statu larvae quam perfecto Comatularum ectoparasita (Myzostomum).

In Bdellideis monocotyleis: larva animalculo materno dissimilis, nec acetabulo, nec ocellis instructa; cum adultis simul in eodem loco degens (Clepsine).

Conspectus dispositionis Bdellideorum, adjectis simul generum characteribus essentialibus.

Subtribus I. Bdellidea polycotylea.

Corpus acetabulis et ambulacris pluribus instructum.

1. **Myzostomum.** Corpus acetabulis 8 et ambulacris 10 ventralibus instructum.

Subtribus II. Bdellidea monocotylea.

Corpus acetabulo uno, nec ambulacris instructum. Anus dorsalis supra acetabulum aut in centro acetabuli situs.

SECTIO I. EXCENTROPROCTA.

Anus dorsalis supra acetabulum situs, rarissime in apice corporis postico. — Branchiata aut ebranchiata.

FAMILIA I. BRANCHIOBDELLAE.

Corpus branchiatum. — Androgyna.

2. **Ozobranchus.** Corpus branchiis ramosis instructum.

¹⁾ Confer habitaculum Hirudinis Tagallae hujus loci.